



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 451. An res aliena oppignorari possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

*fin. ff. de pignor.* sed neque prædiales rusticas dominus prædii dominantis in pignus dare potest. Muller. *cit. th. 18. lit. e.* ubi utriusque causam fuse assignat quamvis, ut Idem *ibid. lit. g.* dominus suo fundo servitutem jure pignoris creditori vicinum prædium habenti, donec pecunia debita ei soluta, imponere possit. V. gr. ut creditor per eum eat, agat, pascat, ligna cadat, &c. non quidem summo jure propter conditionem temporis adjunctam, subsistente hac pactione; sed potius ex æquitate Prætoris tuente eam ob contrahentium utilitatem, *l. 12. ff. de pignor.* quemadmodum ex æquitate, & ob dictam utilitatem contra strictam rationem juris pignus & plura alia sustinentur, ut Struv. *loc. cit. lit. e.* cum Bachov. *ad Wesenbec. ff. que res pignori. num. 1.* & *ad Treutl. vol. 1. d. 17. thes. 12. lit. b.* De rebus aliis, quæ ob favorem certarum personarum alienari prohibentur, & ideo oppignorari nequeunt, vide infra.

**Quæst. 451. Specialis: an res aliena oppignorari possit?**

**I.** Res prorsus aliena, seu in qua debitor nihil omnino juris habet, domino illius non consentiente absolute nomine proprio oppignorari nequit, estque talis oppignoratio penitus nulla, non oblitante, quod ea vendi possit, *l. 2. C. si res alien. pignori data sit. L. qui filius. C. que res pign. l. 20. ff. de pignor. act.* de Lugo, *de 7. C. 7. d. 31. f. 2. num. 29.* Pirh. *h. t. num. 15.* Struv. *ad ff. que res pign. lit. 9. junctâ lit. i.* Muller. *ibidem*, cum communi. Estque ratio, quod per oppignoracionem agatur de jure reali transferendi in creditorem, obligeturque ei res ipsa, & constituendo ei jus in re, nempe in re oppignorata; quod nemo potest in re prorsus aliena sine consensu domini illius rei, ut Gl. *in cit. l. 2. v. potuisse.* In quo quia differt à venditione, utpote in qua obligatur solum persona venditoris ad præstandam evictionem, nempe restituendo emptori pretium acceptum, & quod ejus interest rem evictam non esse, transferaturque solum possessio quadam, quam asininam vocant, ut Muller. et si de cætero in eo conveniat cum venditione rei alienæ, quod sicut per hanc, ita etiam per illam oppignoracionem non præjudicetur domino, cum sicut is rem suam ab emptore, ita etiam illam oppignoratam à creditore vindicare possit, salva semper creditori manente actione contraria contra oppignorantem, quod rem alienam in pignus dederit; pro ut hæc tradunt Pirh. Muller. *LL. cit. Negulant. de pignor. m. 3. p. 2. num. 58.* Perez *ad Cod. si res pignori dat. n. 1.* Scheide win. *ad §. ult. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* & alii, quos citat Muller. hinc inquam, mirum non est, oppignorari non posse rem alienam, et si ea vendi possit.

2. Dixi primò: *in re prorsus aliena*: nam et si quod ad proprietatem res aliena sit, debitor tamen in ea habens aliquid juris. V. g. jus censûs, usufructûs, &c. quò ad hoc jus adhuc eam oppignorare potest.

3. Dixi secundo: *domino non consentiente*: hoc enim consentiente, nil vetat, rem ejus dari in pignus, *l. 20. ff. de pignor. act.* Muller. *l. c. lit. u.* cum unicuique renunciare juri suo sit liberum. Instar consentientis autem est is, qui sciens rem suam oppignorari tacuit in fraudem creditoris ignorantis sibi constitui in pignus rem alienam, *l. 2. in fin. C. si res alien. pign. dat.* Muller. *loc. cit.* quia calliditati subveniendum non est, *l. 5. C. ad*

*S. C. Vellejan.* Brunnem. *ad cit. l. 2. num. 2.* Præberi autem potest dictus consensus duplici modo: primò ad initium constitutionis pignoris. Secundo ex post rathabendo oppignoracionem factam primitus sine consensu; quæ rathabitio retrahitur ad diem oppignoracionis factæ; non tamen in præjudicium tertii, cui intermedio illo tempore res eadem fuisset hypothecata, ita de Lugo, *loc. cit.* citans Molin. *d. 529.* Quemadmodum etiam ex post facto convalescit pignus ab initio nulliter constitutum in re aliena, non quidem directo & stricto jure, sed ex æquitate, dum ipse oppignorans postea fit dominus dicti pignoris, daturque ex tunc creditori actio pignoratitia utilis, *L. rem. C. de pignor. act.* Struv. *cit. thes. 17. lit. v.* & *ibidem* Muller. Reiffent. *h. t. num. 39.* Secus tamen, seu non convalescit pignus, dum dominus rei oppignoratæ heret debitor oppignorantis; ut Struv. *loc. cit. lit. g.* citans *l. 41. de pign. act.*

4. Dixi tertio: *absolute*: potest siquidem res aliena oppignorari sub conditione: si mea facta fuerit, *l. 16. §. 7. ff. de pignor.* Muller. *loc. cit. lit. a.* in quo tamen casu jus pignoris revera non nascitur, nisi tempore, quo impletur conditio, & res incipit esse mea, cum conditio actum suspendat, *§. 1. Inst. de V. O. l. 213. de V. S.* Muller. *loc. cit.* citans Menoeh. *de arbu. l. 2. c. 498. à num. 4.* quamvis, ut idem, dum postmodum jus illud natum est, jam ab initio perfectum fuisse videatur, cum conditio retrahatur ad tempus actûs gesti, juxta *§. 1. Inst. de milit. testam. & ibi*, Scheide win. *n. 21.* uti hæc contingunt, quoties oppignorantur bona præsentia & futura, *l. 15. §. fin. ff. h. t.* Muller. *loc. cit.* cum Stryck. *de cautel. contract. f. 2. c. 4. §. 15.* cum tunc dicta conditio quò ad futura inesse videatur. Idem cum Donell. *de pignor. n. 7.* Non tamen posse sub conditione dicta obligari pignori hereditatem speratam propter turpitudinem, quæ inesse videtur, nempe votum captandæ mortis, *l. ult. C. de pactis. v. neque hypothecas.* Muller. *loc. cit.* cum Brunnem. *ad l. 16. §. 7. de pignor.* Modò tamen de certâ personæ hereditate fuerit actum; cum in genere de incerti hereditate liceat pacisci, *l. 3. §. 2. pro socio.* Brunnem. *ad cit. l. ult. C. de pact. à n. 7.* Carpz. *p. 2. c. 35. def. 17. n. 11.* Muller. *loc. cit.* ubi etiam, quòd valeat talis oppignoratio, si fiat cum consensu illius, de cujus hereditate agitur.

5. Dixi quartò: *nomine proprio*: nam res alienas à certis personis dari posse in hypothecam nomine alieno, nempe illorum, ad quos spectant, extra dubium est; de quo paulo post, ubi agemus de iis, qui pignus constituere possunt.

**Quæst. 452. Quenam res veniant vel non veniant in hypotheca generali?**

**I.** Res primò: In hypotheca generali simpliciter tali veniunt omnia debitoris bona, quæ in commercio sunt, & aliâs oppignorari non prohibentur, atque ita etiam jura & actiones illius; quia hæc omnia in pignus dari possunt juxta dicta *qu. ante hanc 3.* utpote quæ nomine meorum & tuorum veniunt, *L. si legatus. §. 1. ff. ad S. C. Trebell.* & æquè in bonis nostris numerantur, quam alia corporalia, *l. 40. ff. de V. S.* & ita habet communis contra Jasonem. Excepto tamen jure patronatus juxta dicta *quæst. ante hanc 2.* item aliis juribus spiritualibus, utpote quæ extra commercium sunt. Secundo veniunt omnia mobilia & immobilia; & ita etiam nomina debitoris, seu quæ ei debentur ab alio; quia & ea oppignorari possunt

secun-